



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660

S. Macarivs Alexander. 2. Januarij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42032

usus, è mundo abiit, & Religiosam domum inijt.
 Subinde Præfektus Asceterio Cluniacensi, ostendit, quàm facile imitari Christi miracula foret illi, qui vitam veller. Aquas quippe eunti sibi in folum, alijs etiam in vinum vertit, piscibusque non multis bene multam pavit multitudinem. inter primas curas habuit, piorum Manibus opitulari, quos flammæ piaculares haberent. Id adeò factus ipse est orci tortor, quem Siculæ quispiam eremici incola non semel querentem audiit atque indignantem innumeros à pœnis suis ODILEONIS absolvi precibus. Eos inter Benedictum numerant VIII. Pont. Max. qui opem & ipse viii imploravit, & verò sensit etiam, ac gratus palàm laudavit. Atque hoc stimulos subdidit ODILEONI, ut sui quotannis diem agerent piarum animarum memoriã insignem, quod institutum id temporis uni illi familiæ familiarare totus hodie Christianus orbis amplectitur. ODILEONI nostro morienti præsto ipse Christus fuit, Stygialque larvas cum suis terribilamentis longè iussit facessere. Nimirum quam opem mortuis vivi ferimus, morituri & ipse sentimus. Ex

Surio.

Disce humilitatem, quã Christus verbo docuit & exemplo; disce obedientiam, quam patri suo exhibuit & Matri; disce virtutes ceteras, ut vitæ lumen in te valeas possidere; Christum sequere, Christum imitare, ut ad ipsum pervenias. B. Laur. Iust. de interiore conflictu.

S. MACARIUS ALEXANDER.

2 Ianuarij.

HVNC MACARIVM nomine suo Alexandria
 Hinc fallor, suo ille Alexandriam beavit.

VII.

VII. annis sine cocto edulio, sine omni somno dies XX. quadragintadiale jejunium sine omni cibo transegit. Satur interea cæli delicijs, & pijs nunquam non lacrimis ebrius. Inter hæc Cupidinem bella sibi moventem aggressus, culicum præsidio corpus cinxit; quos inter cum sex aded menses nudus decertasset, horum aculeis longè hostem submovit. Quid multis? brevi tam parvo milite ingentem, & formidandum tyrannum debellavit. Pœnitentem Sacerdotem à sacrilegâ Venere, & qui in pœnam afflicti corpore serpebat, cancro eâ lege absolvit, ut ne porrò sacrificaret impûrus. Nec in homines solùm pius, cæcum feræ, nescio cuius, partum sputo suo illitum lumine donavit, oviculæ exuvijs à gratâ parente vicissim donatus. Inter precandum ita se ipsum fertur adhortatus: *Anime mi, ne te in terras è calo demitte: ibi Deum. & cum Dea Dei aulam omnem habes.* Viderat nimirum quandoq;, quàm multiplici dolo astuq; turbare precantium animos malus hostis niteretur. Ob hæc aliaque ejuscemodi prædicantibus verè MACARIUM, hoc est beatum, ut qui mundo tam bellè illuderet, illud responsi dedit, caverent, ne ipsis mundus illuderet. Vivere porrò desit, cum annum ageret centesimum, & documento sanè fuit mortalibus, frugalitate & vitæ religiosæ asperitate non minui annos, sed crescere. *Ex vit. PP.*

Quæ segnities est, capi ineptis cogitationibus, cum Dominum deprecaris, quasi sit aliud, quod magis debeas cogitare, quàm quòd cum Deo loquaris: Quomodo te audiri à Deo postulas, cum te ipse non audias? S. Cyprian. de Orat. Dom.